

B. M. II, 49.
N. 7, 4.

II K
1593

CONTINUATIO JURIUUM
MAJESTATIS
CÆSAREÆ
IN ITALIAM

AUCTORE

JOHAN. WOLFFGANG.
JÄGERO,

SS. THEOL. DOCT. ET PROF. PRIM.
ACADEMIÆ TUBINGENSIS CANCELLARIO, EC-
CLESIAE IBIDEM PRÆPOSITO, MONASTERII ADEL-
BERGENSIS ABBATE ET SUPERINTENDENTE
GENERALI.

TUBINGÆ, Apud JOH. GEORG. COTTAM,
ANNO M DCC XVIII.

84



Handwritten numbers and scribbles in the top right corner.

CONSTITUTIO JURIS
MAJESTATIS
CAESARIS
IN ITALIA

DOCTOR
JOHAN. WOLFFGANG.



SS. THEOL. DOCT. PROF. PRIM.
ACADEMIAE TUBINGENSIS CANCELLARIO, EC.
CESSIS. RICHARDI YR. EC. VICE-PRASIDENTI ADEP.
C. BERGENSES ARABAE R. VICE-PRASIDENTE



Handwritten text at the bottom of the page, partially obscured by the stamp.





PROPOSITIO QUINTA.

Quam fidem servaverint Pontifices Romani
 Dominis suis, sive Imperatoribus in bellis
 sacris?



Uamquam prima fronte hæc questio fa-
 cilis videatur, dicendo, dignam Ponti-
 fice M. hoc est, Viro pio, & sancto.
 Pietas enim, & sanctitas proprii chara-
 cteres deberent esse viri in illa eminentia
 constituti, ut esset quasi exemplar
 reliquis Christianis: tamen res jam
 eo rediit, ut res non per omnia semper apud sacram sedem
 sit ita comparata, ut boni omnes desiderarent, hoc est, *candide*,
 & *sincere*. Hoc ipsum ostendit ut evidenter per ex-
 empla, quæ aperte loquuntur ea, quæ dicimus, sic e. g.
 Seculò XI. exeunte, reges, principesque Christianos, con-
 citante & impellente eos R. pontifice, ingens inuasit cu-
 piditas barbaris hæc regiones iterum eripiendi. Nihil
 enim magis munere suo dignum se facere posse arbitra-
 bantur. Et hinc expeditiones istæ multorum monumen-
 tis celebratæ, enatæ sunt; quas cruciatus dicere moris est,
 eo, quod, ut Abrah. Bzovius putat, in honorem Christi
 Servatoris nostri, qui crucis supplicio nostra expiaturus
 crimina, affici voluit, susciperentur; vel quod crucis si-
 gno a reliquis discernerentur qui huic militiæ nomina sua

A 2

dede-

de Regno Ital. Lib. IX. vid. Berthold in Chr. Jac. de Vitriaco in H. Orient. Rogerius Hoveden in Annal. & Porder. Tolernus.

dederant. Ita Carolus Sigonius existimat. * *Qui in eam expeditionem profecti sunt, cruce signati, & ipsa expeditio cruciata dicta est. Ferebatur autem palam in vestimento ad humerum dextrum, idque mandato summi pontificis. Uti- que magnopere referebat Romanorum præsulum, ut Palæstinam peterent principes, populique Europæi. Hinc Innocentius III. anathematis fulmen in cunctantes, & ter- giversantes vibravit, & ut vibrarent, ceteris Christiani or- bis præsulibus iniunxit in constitutione illa, quam pro re- cuperanda terra sancta ex decreto concilii Lateranensis edidit. Andream quoque ducem, regis Hungariæ filium, sacris, non aliam ob causam, idem Innocentius interdi- xit; &, quamdiu iram suam non placaverit, prompto ob- sequio, jure in patrium regnum succedendi, illum destitui pronuntiavit. Sed & criminum ac peccatorum veniam, more, ac ritu ecclesiæ Romanæ illis impertiebatur, qui signa in Palæstinam euntium sequi vellent. Ur- banus Pontifex in oratione ad partes concilii Claro- montani id se facturum diserte pollicetur; Urbani exem- plum sequatus est Eugenius pontifex, * teste Ortone Frisii- genfi; Eugenii Innocentius III. in Concilio Lateranensi. Hoc Romanorum Pontificum, studium, bellis ejusmodi cum saracenis involuendi Europæos principes inde quo- que patet, quod martyrum titulo ornando illos, qui in hisce expeditionibus occubuere, ceteros accenderint, exti- mularintque. Denique & præmiis eximiis ad militiæ sacrae onus obeundum a pontificibus Romanis incitaban- tur: id quod iterum ex Urbani oratione ad partes conci- lii Claromontani, Eugenii epistola ad Ludovicum Franco- rum regem; Innocentii III. & Synodi Lateranensis decre- to abunde patet. Ast, quænam causa fuit, ut Romani antistites in Saracenos armaverint Europam? Splendida oppido*

* Vid. Bern- hard in e- pist. ad E- pisc. Clerum & popul. Spir. Petrus Blesensis & Thon. Can- tipratensis.

oppido, & præclara, &, quæ Christiani orbis episcopum decebat, si ipsum audias. Nimirum studium propagandi religionem Christianam, verumque cultum divinum in iis locis iterum stabiliendi, quæ sub barbarorum iugo gement, se, ut classicum hocce canerent, impulisse, sanctissimi antistites palam profitebantur. Testis nobis locuples iterum erit Abrah. Bzovius, Romanæ curiæ strenuus vindex. Disserte enim, ut causam harum expeditionum innuat, asserit *Romanos pontifices concitasse Christianos, & Ecclesiæ defensione ad arma arripienda, nomenque in militiam dandum publicis, privatisque concionibus, & monitionibus etiam per literas eos conuocasse.* Putaverunt enim, pergit, quod ea prædicatio, quæ pro conservatione, & propagatione religionis Christianæ, proque defensione, & tutela fidei, sacrorum, ecclesiæ & ecclesiasticarum, sive Personarum, sive libertatum instituitur, nihil aliud sit, quam professio crucifixi. Ceterum certum hoc est, quod omnis defensio, quæ religionis causâ suscipitur, tum demum locum inueniat, si religio ipsa petitur, vel hostis nos hanc ob causam adgreditur, ut ad aliam amplectendam religionem nos cogere velit. Quæ omnia autem in bellis, ut vocantur, Sacris secus sese habebant. Quod enim Turcæ ad imperii potius, quam religionis pomœria dilatanda Palæstinam invaserint, vel inde forte colliges, quod sævierint in Christianos, sed illis sacris suis operari permiserint Testatur id ipse Patriarcha Hierosolymitanus Theodosius in epistola ad Patriarcham Cpolitano: *Multam, inquit, Turcæ benevolentiam & compassionem ostendunt in nos, licentiam nobis præbentes adificandi ecclesias nostras, & tenendi sine prohibitione mores nostros, juste agentes, & in nullo nobis iniuriam per violentiam inferentes.* Quare utut Muhamedanis vel maxime justus possessionis defuerit titulus, id quod

non abnuo, dum tamen religionem non petierint, saltem hujus defendendæ specie illis non poterat inferri bellum.

Quemadmodum igitur nulla religionis defensio expeditionem hanc excusare poterat; ita non video, quid peccaverint Muhamedani, quod Romanum pontificem, & principes Christianos ad vindicandum jus suum in hac expeditione impullerit. Dices, multum interesse Christianorum principum, providere quomodo religionis sanctissimæ cultus deletis barbaris, propagetur, iis præcipue in locis, in quibus electus Dei populus sedem habuit, & Christus ipse cum sanctissimis suis discipulis mortem crucis obiit. Hoc equidem non inficior, sed qua, quæso, juris specie quis ab alia gente exigere potest, ut religionem quam pro vera ipse reputat, amplectatur, aut, si amplecti recuset, utique non est, ut de injuria illata conqueratur? *Non ferenda est, inquit Hermanus Conringius, illa quorundam persuasio, quasi justa promiscue sint Christianorum arma in quosuis a Christiana religione prorsus alienos, sive non nihil exorbitantes. Non minus præfecto detestanda est hæc opinio, atque illa ex adverso, Muhamedanorum, in alia sentientes quosuis, aut veterum Græcorum in omnes, quos barbaros vocabant, tanquam illi natura essent serui, prætensa bellandi licentia.*

Nec religionis Christianæ hæc est indoles, ut vi armisque propagari aut possit, aut debeat. Christus ipse docuit homines, non coëgit. Christi Servatoris exemplum secuti sunt Apostoli. Arma militiæ nostræ, inquit divus Paulus 2. Cor. X, 4. non carnalia sunt, sed potentia Dei ad demolitionem munitiorum, quibus consilia demolimur, & omnem celsitudinem, quæ extollitur adversus cogitationem Dei, & captivam ducimus omnem cogitationem ad obediendum Christo. Quæ arma & latius enume-

enumerantur 2. Cor. VI, 4. seqq. tolerantia multa afflictiones, necessitates, anxietates, plagæ, carceres, labores, vigilia, ieiunia, puritas, Scientia, benignitas, caritas non simulata. Conf. Ephes. VI, 11. 12. 2. Cor. VIII, 8. & alia scripturæ divinæ documenta. Equidem in parabola de convivio Luc. XIV. invitatores jubentur convivas compellere ad intrandum, seu necessitatem adferre, sed non talem, quæ vi, metuque constat, aut qua obtorto collo homines rapiuntur, sed qualis invitationi ad convivium quadrat, rogando, hortando, majestatem convivoris, convivi illecebras ostentando. Sic divus Paulus 2. Cor. V, 19. 20. nomine Christi, inquit, legatione fungimur, tamquam Deo vos obsecrante per nos: rogamus pro Christo reconciliamini Deo. Sed quæ latius hac de re dici poterant, ea cuncta accurate complexus est Pufendorfius in libello de habitu religionis ad vitam civilem.

Quidquid igitur in medium proferant Moralistæ Romanenses, ad probandum, quod in eos arma sumi possint, qui ad religionem suscipiendam benevolentia, & humanitate flecti non possunt: illud omne contra Scripturam, & contra justas bellorum movendorum leges pugnat. Nec desunt ex ipsis Romanæ ecclesiæ doctoribus, qui nobiscum hac in parte sentiunt. Philippus a SS. Trinitate diserte negat, infideles, non subditos ad sacra Christianorum amplectenda compelli posse. Huic suffragatur Bannes, & Greg. de Valentia alique plures. Recte igitur Stephanus Palquier: *Transfretationes, inquit, eas fere ruinam attulisse ecclesia tam in temperalibus, quam Spiritualibus, eoque nomine esse improbandas, quod potiffices voluerint religionem nostram propagare per preces, exhortationes jejunia, obedientiam, & paupertatum.*

Equidem diffiteri non possumus, speciosa esse argumenta,

menta, quæ pro iustitia expeditionis hujus adferuntur a nonnullis. Nimirum, cum Hierosolymitani a barbaris premerentur, datisque ad pontificem Romanum litteris, ipsis & omnium Christianorum principum operam implorarent, non tantum obligationem, qua omnibus populis obstricti sunt Europæi principes, sed cum primis sacrorum consortium incitare debuisse, ad suppetias miseris ferendas. Sed vero tantum abest, ut hæc ipsa causa movens horum bellorum fuerit auxilium Hierosolymitanis ferendum, ut vix obtentui illud sumserint Romani pontifices: aut si vel maxime sumserunt, inde non evincitur, bella hæc fuisse iusta. Fieri enim potest, ut iusta belli gerendi causa evertatur, & contaminetur injusto fine, intentione. Si enim rem accuratius nobiscum expendamus, deprehendemus, majorem saltem potentiam Romano Solio esse quæsitam, præsertim pendente adhuc lite de ecclesiasticis dignitatibus a Gregorio VII. Urbani decessore mota. Intelligebant facile Romani præsules, per hæc expeditiones suam potentiam non una ratione auctum iri. Et initio quidem hoc pacto se effecturos credebant, ut orientales quoque ecclesiæ summam Romani Pontificis agnoscerent dignitatem. In quo sane illos spes neutiquam feseilit. Ex eo enim tempore & Antiochenus, & Hierosolymitanus patriarcha Romani pontificis jugum subierunt. Consultum quoque ducebant hoc pacto vires regum, principumque Europæorum attenuare Spiritusque illorum reprimere, ne deinceps facile, suæ sibi conficii imbecillitatis, pontificum ausibus obviam irent. Hoc vero ita se habere ille demum abauerit, qui mores Romanorum pontificum, hac ætate summam rerum tinentium, parum cognitos, & exploratos habet. Vid. omnino Albertus, Canonicus Aquensis in Chron. Hierosolym.

folym. lib. IV. c. XXIII. & Reineccius in præf. H. Orient.

Præter hæc eo usque callidissimis horum præsulorum consiliis structura hujus monarchiæ processerat, ut leges ferrent orbi Christiano, jura darent ipsis regibus, ac imperatoribus de rerum summa inter se concertantibus, eosdemque si libitum esset, sacris arcendo, punirent, cunctisque adeo summæ potestatis partibus in imperio hoc ecclesiastico fungerentur. Nam passim hunc errorem & instillari curarunt principibus Romani pontifices, ad peccata, & crimina quamvis atrociam expianda non promptiorem esse medelam, quam invisere loca servatoris nostri Christi nativitate, morte, & resurrectione nobilitata. Ipse Urbanus Pontifex in Claromontano Concilio ad eripiendas barbaris hæc provincias cohortaturus Christianos principes, non alio magis, quam hoc in hostes armavit argumento: *Loca venerabilia divinis deputata mysteriis, dominum in carne susceperunt, hospitem, signa viderunt, senserunt beneficia, quorum omnium in se plena fide prætendunt argumenta, facta sunt gregum præsepia, stabula jumentorum* vid. Wilh. Episc. Tyrius lib. 1. Hist. belli a Princip. Occident. in Palæst. gesti cap. XV. En luculentum superstitionis, quæ miseros abripuit, documentum! *Nostra enim nihil refert*, judice Conringio Episc. L. III. quod terræ sanctis pedibus quondam calcatæ ab impuris hodie ambulentur, nisi quod doleamus merito impietatis vim, quæ divinam indignationem usque adeo commoverit: cum ubivis terrarum æque Deo acceptis, & æque propinquis cælo nobis esse liceat, & omnis plenitudo terræ perinde sit domini. Accedebat & alius non minus pestilens error, quo ceu veneno quodam militum istorum afflati erant animi, vana scilicet persuasio unumquemque, qui in certamine, quod contra infideles geri-

B

tur

tur, petiisset, cœleste promereri regnum. Quæ sententia in ipsummet jus pontificium est recepta.

Quod cum ita se habeat, tantum abest, ut Pontifices in hac belli expeditione fide sincera processerint cum Christianis principibus, ut id solum dederint operam, quemadmodum eos pellicere possint, ad barbarorum regiones vastandas, & pontificale dominium amplificandum. Ut non erraverimus, si dixerimus, hanc expeditionem non vulgarem fuisse epocham pontificum detestandæ per orbem terrarum dominandi libidinis. Equidem non ignoramus jam seculo VII. Bonifacium maxime hujus pestis fecisse initium; tamen abnuere nemo potest in his Cruciatorum expeditionibus totius Christiani imperii deplorandam crucem a Romanis præsulibus illatam fuisse. Adeo falsus religionis prætextus ipsis orbis principibus fieri solet exitiosus; præsertim si ab iis prætenditur, quos divinæ sanctitatis, & Christi vicariantis officii inveterata opinio in summo mundi collocavit fastigio.

PROPOSITIO SEXTA.

In qua disquiritur; an jus decimarum colligendarum penes Imperatores, an penes R. pontificem esse debeat?

HActenus de juribus Augustissimi Imperatoris in Italiæ provincias in se spectatas; sequitur ut breviter dicamus de jure earum rerum, quæ ex provinciis ad usus publicos prensari, & applicari solent, quæque in fructibus terræ consistunt. Speciatim disquiremus, an jus Decimarum in Italia, præsertim Neapoli, ad Imperatorem an ad Pontificem spectet. De Decimis tractant varii, & quod attinet ad jus illud exigendi decimas, tractari illud potest vel secundum jus Canonicum, & divinum, vel secundum jus
Maje-

Majestatis absolutum. Spectando Rationem Juris Canonici, tum illud sibi vindicat Pontifex Rom. tanquam Præses Sacrotum, qui putat, jus in decimas Ecclesiasticas jure proprio sibi competere, quia jus in Ecclesiam non possit aliis competere, nisi Supremo Capiti. Contra vero, qui jus considerant supremum, asserunt & dicunt, hoc nulli competere, nisi qui Dominium habeat in Remp. temporale. In Jure divino vestigia habemus in loco Gen. XIV, 18. Coll. cum Hebr. VII, 2. Et Numer. XIX, 26. Nehem. X. 38. Ratione decimarum, quas Potestas Civilis exigit, vid. imprimis Exemplum Augusti Imperatoris, qui, exhausto per bella ærario, decimam partem exigere incepit. De quo vid. Plin. in Panegy. Traj. ubi sic scribit: *Onera imperii pleraque vectigalia institui, us pro utilitate communi, ita singulorum injuriis coegerunt; His vigesima reperta est, tributum tolerabile, & facile heredibus duntaxat extraneis, domesticis grave. Itaque illis irrogatum est, his remissum, videlicet quod manifestum erat, quanto cum dolore lataturi, vel potius non laturi homines essent, distringi aliquid & abradi bonis, qua sanguine, gentilitate, sacrorum denique societate meruissent, quæque nunquam ut aliena & speranda, sed ut sua semperque possessa, ac deniceps proximo cuique transmittenda cepissent.* Ex quibus Plinii verbis evidens est, quod tempore Romanorum Imperatorum Jus colligendi Decimas penes Imperatores fuerit, imprimis ex ea ratione, quod, quia par est, quod in Republica aliqua, ditiores concurrant ad sustinenda onera publica, & vero nihil æquius sit, quam ut ii, qui bona possident præ aliis, quoque concurrant. Ita quoque nihil æquius est, quin ut Decimæ à pinguioribus fortunæ hominibus persolvantur, vide de hac re analogum quid in exemplo Augusti, ubi Historia Sacra recenset, quod tempore, nascentis salvatoris no-

Atri torus mundus fuerit quasi Decimatus. Pro præfenti
 tempore Pontifex Romanus tanquam Antistes Sacrorum,
 hoc sibi Jus arrogat ad Decimas exigendas, quod inprimis à Pontificibus Romanis exactum fuit in bello Sacro,
 de quo videatur Urbanus in Exhortatione ad Populum in
 Concilio Claromantono facta, ubi inter alia sic loquitur.
Hæc salutis nostræ cunabula, Domini patriam, religionis ma-
terem, populus absque DEO, ancilla filius Ægyptia possidet vio-
lenter: & captivitatibus libera filiis extremas imponit Condi-
tionibus, quibus versa vice merito servire tenebatur. Sed quid
scriptum est? Ejice ancillam & filium ejus. Saracenorum
enim gens impia & immundarum sectatrix traditionum, loca
sancta in quibus steterunt pedes Domini, jam à multis retrò
temporibus violenta premit tyrannide, subactis fidelibus & in
servitutem damnatis. Ingressi sunt caecos in sancta, profana-
tum est sanctuarium, humiliatus est Cultor Dei, populus anga-
rias patitur indignas: Genus electum servit in luto, & late-
re: Regale Sacerdotium, Principes Provinciarum, factum est
sub tributo, Civitas DEI. Cujus non liquefiat Anima? Cujus
non labescant præcordia, iis ad animum recurrentibus? Quis
hac siccis oculis audire potest, fratres charissimi? Ex quibus
 verbis liquet, quid Pontifices Romani statuerint ob bellum
 contra Turcas sive Saracenos susceptum. Hodiernus
 Pontifex Romanus alia longe via incedit, ille n. non vult,
 ut Decimæ darentur, ad Turcas ex Imperio Romano ex-
 tirpandos, sed ad subsidia hostibus ferenda: Imperator no-
 ster Romanus Augustissimus egregie & justissime hoc Jus
 bonorum Ecclesiasticorum in Regno Neapolitano toto si-
 bi vindicavit. Quid enim æquius & pro Christianismo
 salutarius, quam Decimas impendi ad salvandam reimpu-
 blicam Sacram, & eripiendum servitute turpissima popu-
 lum Christianum, quod ipsum finis potissimus fuit Belli
alias

alias Sacri, unde etiam Pontifex Romanus Innocentius XI. æterna memoria dignus est, quod Gloriosissimo Imperatori Leopoldo Turcas feliciter oppugnanti Decimas liberaliter non tantum concessit, sed etiam ex ærario proprio multa millia florenorum indulfit. Quod ipsum exemplum pro æterna memoria constare debet Clementi Romano Pontifici hujus nominis XI. qui per totam suam vitam nihil unquam inclementius fecit quam quod Turcis auxilia suppeditavit, & quidem ex Decimis Ecclesiasticis per totam Hispaniam collectis. Unde eo magis execrabilis est Cardinalis *Alberonius* qui, cum satis nosset, in quem finem Decimæ sint institutæ, nempe ad oppressionem Christianismi, multo magis ad subsidia ferenda Turcis infensissimis Christiani nominis hostibus: eo tamen ex impia politica processit ut consilia quoque suggesserit, quomodo Christianismus in pientissimo Imperatore nostro feliciter restitutus & quasi novas vires benedicendi Deo habens infringi possit. Equidem ex novellis habemus, quod præfens pontifex Romanus CLEMENS XI. valde iratus sit contra detestanda ausa dicti Cardinalis *Alberonii*: sunt tamen non pauci, qui existimant, talem Cardinalem longe majores pœnas mereri, & purpura omni indignissimum esse, qui tam infaustis institutis consiliis christianismum oppugnet.

PROPOSITIO SEPTIMA.

An jure merito Augustissimus Imperator Simoniam in Regno Neapolitano abrogarit.

Quid simonia sit, & quam atrox scelus secum ferat, scribere non adinet. Nam, quod eam scriptura damnaverit, Simonis exemplo Petrus docet Act. VIII, 20. quodque omnes boni, etiam in Ecclesia Romana

scripturæ hac in parte suffragati fuerint, historia recenset. Non est locus referendi omnia, quæ *Baronius*, Strenuus alias Romanæ sedis defensor, & *Durandus*, Petrus de *Marca* aliique plures de hoc scelere in ecclesia Romana querulantur. Certum est, quod inde a seculo saltim septimo usque ad nostra tempora a Simonix suspicione Curia Romana non fuerit libera. Quamvis enim *GREGORIUS*, Episcopus Romanus, scelus hoc, congregato Romæ concilio an. DXCV. ut *Gratianus* ex decreto ejus *Diss.* 100. c. novit, refert, abrogarit: tamen qui hoc nil obstante Simoniam exercuerint, in *Sede Romana*, non fuerunt pauci. Ipsi enim Pontificii scriptores *Platina*, *Stella*, *Genebrardus*, *Baronius*, non diffitentur, nec diffiteri possunt, quod non tantum per malas artes multi Romanam sedem occuparint, sed etiam ad clauum sedis R. sedentes Simoniam exercuerint; resque Spirituales pretio taxarint. Fuerunt enim ingentes taxæ pro *palliis*, litteris *confirmationis*, pro *investitura* &c. In primis autem exactio *Annatarum*, quam ab *avaritia*, Scelerum, & impietatis omnis matre originem habere recte dixit *Pet. de Marca* in tract. de *Concord. Sacerd. & Imper*

Equidem negari non potest, quod Sanctio *Gregorii* usque ad an. 744. duraverit in Ecclesia, ex epist. *Zachar. Pontif.* Sed difficilimum erat curiæ *Romanæ*, ut manus abstineret ab hac turpi, & simonica nundinatione; nam non toto post *Zachariam* seculo revocata fuit damnata consuetudo; Unde ortæ in Gallia querelæ, quæ occasionem præbuere, ut convocato Parisiis concilio, Regia auctoritate sanciretur, ut omnes abusus *Simoniam* spirantes abolerentur. Quanquam autem Gallia satis animose ejusmodi Simonix resistit, deprehensum tamen fuit, quod verum sit, atque in hunc ipsam

ipsum diem valeat, vaticinium *Tvonis Cartunensis*, qui loquens alicubi de prava illa consuetudine Curia Romanæ ait: *Imperium cupiditatis Roma extingui non posse, donec mundi conflagratio consequatur, & pacatum regnum obtineat caritas; nec defuturam in diebus malis cupiditatem, donec finito mundi termino pacatum regnum accipiat caritas: semper abundaturam paleam, donec ventiletur area.* Nam quamvis **CLEMENTIS V.** tempore non defuerint, qui hanc pestem publicis scriptis execrati sint, speciatim, ut diximus *Guilielmus Durandus*, cui cum Pontifex præciperet, ut consignaret, quæ reformatione digna judicaret, in primis Simoniam ex Concilio Chalcedonensi secundo, post adducta aliqua loca ex decreto Gratiani ex Ecclesia tollendam, ac damnandam judicavit: tamen hæc execratio Romæ locum exiguum invenit. Nam tempore **JOANNIS XXII.** Pontificis (qui seipsum elegit, atque animas in fide decedentium Deo frui negavit; contra pronuntiavit Christum nunquam pauperem fuisse, nequidem tum, cum in cruce penderet) dictæ *Annate* non solum ut iustæ, & licitæ acceptæ sunt, sed & mire amplificatæ. Nam cum alias *Annate* ab iis exigerentur, qui *consecrationis* & *confirmationis* solennia in Urbe Romana acciperent; hic *Joannes*, Pontifex, novum tributi genus excogitavit, & statuit, ex omnibus beneficiis non electivis dandas esse *Annatas* ad subveniendum necessitatibus Ecclesiæ Romanæ atque ex eo titulo reservavit fructus omnium *præbendarum* usque ad *triennium*, ut patet ex ejus constitutione extravagantia: Et hæc est vera, quamquam impia *origo Annatarum* in suo nomine.

Sicut autem amor pecuniæ, dulcis quidam morbus, sed infectivus est, ita successores Pontifices magno studio **Joannis XXII.** decretum sequuti, Annatarum legem
con-

conservarunt, & perpetuam esse sanciverunt: quin avaritiæ, Simonix dicti Joannis addidere, ut tributum illud exigeretur ab episcopatibus, & Monasteriis, non secus, atque ab aliis beneficiis. Unde factum est, ut beneficia *electiva*, quibus jugum hoc *Annatarum* à Joanne XXII. impositum non fuerat, & quod *taxatio cancellaria Romana* locum teneret valoris antiquarum *Annatarum*, quæ ex beneficiis illis percipiebantur novo hoc tributo ad fatiendam avaritiam Romanam oppressa fuerint.

Hæc dum postea perspiceret Germania, Gallia, aliæque Regiones, ista in primis sub Carolo VI. Rege an. MCCCCLXXXV. remoram Simonix injecit, provocando ad quintum caput Pragmaticæ Sanctionis, stabilitæ sub *Ludovico Pio*. Cumque subinde irreperet, clerus Gallicanus an. MCCCCVI. querelas apud regem de Simoniacis exactionibus habuit. Qui consilio habito, probe prudens, auctoritatem Papalem institutam esse ad *edificationem*, non vero ad *destructionem*, exactiones illas Simoniacas irritavit, præcipiendo curiæ Parlamenti, ut constitutionis hujus executioni invigilet. Quo factum, ut ab eo tempore Gallia nihil harum præbuerit, sicut & Anglia, Polonia, quæ an. MDXLI. in comitiis tale statutum reliquit, ut *Annate* Romam amplius ne dentur, sed potius in defensionem, & conservationem Reip. conserventur. Et licet Germania, delata ad *Concilium Basileense* querela, annatas dandi Servitutem per decretum Sess. XII. a se remove-rit; tamen adhuc sub hoc onere intolerabili gemit.

Perfensit hoc quidem gloriosissimæ memoriæ Imperator JOSEPHUS I. utque Pater Patriæ subveniret, varia consilia molitus fuit, non modo Germaniam liberatus, sed etiam Italiæ Provincias sibi vindicaturus. Sed quid lucri tulit? CLEMENS XI. arma contra eundem incita-

incitavit, non alio consilio, quam ut Germaniam gementem opprimeret, & Augustissimi Imperatoris exercitum, *ob temporalem titulum* dominii *Directi* in Parmam, & Placentiam, *anathemate*, & maledictionis æternæ mucrone prius percussum dissiparet, deleteret, exterminaret.

Sed non passus est audaciam dicti Pontificis in unctum suum inultam Dominator Deus optimus, maximus, quin piensissimi Imperatoris piensissimum successorem, eundemque FRATREM germanum, Invidiosissimum Imperatorem, & Dominum nostrum, CAROLUM hujus augusti Nominis SEXTUM in vindictam sanctissimi capitis, & libertatem ditionum Sacratissimi Imperii, felicissimis auspiciis, incitaret. Hic enim pro dotibus, quibus pollet, plane Majestatis propriis, & post homines natos admirandis, religionem Sibi innatam, & prorsus hereditariam tanto in numero habuit, ut, quicquid animo objiceret Romana sanctitas, æquitatem, & justitiam, non opinione Sanctitatis Pontificiæ, sed legibus divinis metitus sit, omneque illud, quod a veritatis honestatis, religionisque approbatione abhorreere videbatur, stricto contra Curiam Romanam gladio, velut Dei, & Imperii vindex abolendum putarit. Nimirum non tantum lupanaria, in Papatu tolerata, restrinxit, sed, quod totus Christianus orbis in tabellis publicis legit, Simoniam, tanto opere in regione Neapolitana grassantem, auctoritate, Majestate sua digna, abrogavit, pecuniamque alias Romanæ sedi tribuendam, ad conservationem imperii convertit. Probe enim intellexit, Augustissimus Princeps, non aliud fore, si hæc Simonia continuaretur, quam ut Italiam Papa Romanus ditaret, imperium enervaret, Imperatores Romanos oppugnaret, & denique Germaniam cum imperio destrueret.

Quæritur autem, an jure merito id *Sacratissimus Imperator* fecerit. Sane qui hoc inficiaturus sit, nullum spero,

C

nisi

nisi qui leges humanas, divinasque omnes irritas esse velit. Nam quod ad scripturam sacram adtinet, diximus superius, quantopere Petrus *Simonem Magum* ob hoc idem scelus reprehenderit, quum ei æternam damnationem denunciaret. Act. VIII, 20. Equidem negare non possumus, *ἐπίστα* in Scriptura S. de Simonia nullibi, præter hunc locum, legi; Sed verò *κατὰ διάνοιαν* passim eam damnari certum est. Nam si illud omne Simonia dicitur, quando res *spiritualis & æterna* pro *temporali & corporali* nefario autu venditur, jam tum *Bileamus* Num. XXII, 22-33. *Gehazi*, 2. Reg. V, 27. tæteriima pœna scelus hoc luisse leguntur. Quicquid enim pro executando *Gehazi* adferat *Suarezius*, rectius tamen sentit *Thomas & Cyrillus*, qui sacrilegium *Gehazi* Simoniam appellant. Quod autem ad leges humanas adtinet, tum *naturalibus* tum *positivis Simonia* repugnat: Illis, quia conscientiam vehementer lædit, vinculum religionis erga Deum, quod omnibus, & singulis hominibus innatum est, solvit; societatem turbat; his (maxime, quas Episcopi dixerunt, communiterque *jus canonicum* appellari solent) quia α) expresse *hæresis* appellatur, ut patet ex *Jure Canonico* Quest. I. cap. I. presbyter. cum aliis sequentibus capp. Ipse *PASCHALIS* Episcopus Romanus Decr. II. quæst. 2. sic pronunciat: *Patet Simoniacos veluti primos & præcipuos hæreticos ab omnibus fidelibus respundos.* β) expresse pro *sacrilegio* habetur. Jam quis non novit, *sacrilegium* omnibus *positivis*, & *naturalibus* legibus vetari, prohiberi, & puniri? Si igitur *Simonia* legibus tum *divinis*, tum *humanis* expresse prohibetur, & velut hæresis, atque *Sacrilegium* passim rejicitur, & damnatur, quis negare ausit, *Augustissimum Imperatorem*, jure merito scelus hoc abrogavisse?

Posset hic aliquis occurrere; *non opus esse tam operosa*

sa

sa probatione, pro rejicienda *Simonia*; Cum nullus hoc Pontificum Romanorum negaverit, sed plurimi, nobis ipsis testibus, expressis canonibus rejecerint: Verum illud, nobis, esse probandum, primo, qua ratione tributa Ecclesiastica in Italia scelerato *Simonia* nomine fœdari queant; Deinde, an jure merito hoc ipsum *Simonia* scelus, Augustissimus Imperator, in regno Neapolitano abrogaverit? Sed vero quemadmodum probatu difficile non est, quod *Simonia* sit hæresis; ita facili opera demonstraverimus, quod & dicta tributa, realis *Simonia*, sint; & Sacratissimus Imperator jure sibi competenti eandem abrogaverit.

Quod tributa, illa *Simonia* dici possint, vel exinde dispalescit, quod ibi tum officia sacra ære vendantur, tum tyaræ, atque pallia ecclesiastica pretio æstimentur, tum claves solvendorum peccati vinculorum, contra mandatum Christi, Matth. X, 8. *gratis accepistis, gratis date*, magnis pecuniæ summis permutentur. Accedit, quod, ut supra commemoravimus, sæpius omnes boni conquesti sint, etiam qui Pontificem R. venerantur, hæc contra sanctitatem ecclesiæ peragi. Exempla sunt odiosa: quæ magno numero hic cumulari possent, si operæ pretium esse videretur.

Quod v. Imperator, tamquam *Princeps Politicus*, vitia prohibendi in Ecclesia jus habeat, pridem demonstrarunt nostrates, speciatim *Brentius*, Jo. *Gerhardus*, D. *Osfander* & ex Dnn, *ICtis Brunnenmannus*, *Tabor*, *Fritschius*, *Zieglerus*, & alii plures. Nos etiam alibi copiosius, & ex professo de hac re egimus: ut supervacaneum sit rem tam luculentam hic fusius pertractare. Ut autem aliqua saltem momenta hic reperamus, notum est tum ex Matth. VI, 33. tum Ps. II, 10. 11. 12. quantopere curâ regni Dei omnibus hominibus commendetur; Jam & illud perspectum est,

QK
TK
1593

est, quod regnum Dei nullibi melius, quam in ecclesia, a Principibus, ceu Summo Magistratu privilegiis munita curari, & propagari queat: hinc luce meridiana clarius est, non solum virtutis, bonarumque, & salutarium actionum curationem, propagationem, & defensionem, sed etiam severam in scelera, & vitia in Ecclesiam irrepentia animadversionem, ad *Imperatorem*, ceu Summum in terris Magistratum, *proprio & primario* jure pertinere. Quare & a primordiis ecclesiae idem hoc jus penes Magistratum civilem stetit, & abrogari, nisi invito *Divino* Numine, non potest. *Moses* officium politici principis gessit; & nihilominus, *Aaroni*, Summo Pontifici, in *ecclesiasticis* imperavit, *leges constituit*, vitia castigavit. De *Josua*, utique *Politico*, constat, quod multa circa sacra disposuerit, approbante Deo, & zelum coronante *Jos. III, 17.* neque tamen quidquam ei occlamavit *Summus* Pontifex: Heus *Josua!* quid hac ad TE? alienum officium aliis relinque! Quid dicemus de *Davide, Salemone, Asa, Josaphato, Hiskia, & aliis* electi Dei populi principibus? Quantopere hi rem ecclesiae curarunt! Quidni & *Imperator* noster *Sacratissimus*, pari cum his & dignitate, & juribus gaudens, jure merito in rejiciendis, damnandisque vitiis omnium sanctissimorum Principum vestigia premat?

Aperiant hic Christiani Principes oculos, & conjunctis viribus contendant sedulo, ut tam laudata Imperatoris cœpta, ad censeruationem laudis divinæ, vindicationemque libertatum imperii continuari, & quicumque se Imperatori opponunt, corruere, & pudesieri possint, bene memores pœnarum, quas in hostes uncti sui Deus in sacris litteris minatur.

T A N T U M.

QK (0) 22



M. II, 49.
n. 7, 4.

II k
1593

CONTINUATIO JURIIUM
MAJESTATIS
CÆSAREÆ
IN ITALIAM

AUCTORE

JOHAN. WOLFFGANG.
JÄGERO,

SS. THEOL. DOCT. ET PROF. PRIM.
ACADEMIÆ TUBINGENSIS CANCELLARIO, EC-
CLESIAE IBIDEM PRÆPOSITO, MONASTERII ADEL-
BERGENSIS ABBATE ET SUPERINTENDENTE
GENERALI.

TUBINGÆ, Apud JOH. GEORG. COTTAM,
ANNO M DCC XVIII.

84